UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivre Ac Potestate Romanorvm Pontificvm, Imperatorvm, Regum ac Episcoporum

Alvarez Guerrero, Alfonso

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 A 2069

Ad Serenissimam Catholicam, Potentissimam Avgvstam Mariam Reginam Hispaniarum, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-63477

Visual Library

AD SERENISSIMAM CATHOLICAM, POTENTISSIMAM, AVGVSTAM MARIAM Reginam Hiſpaniarum, &c.

REGINAM ANGLIAE, HIBERNIAE, Franciæ, &c. Religionis Chriſtianæ Conſeruatricem, Doctor Alphonſus Aluarez Guerrero, Preſes Regiæ cameræ Summariæ Regno Neapolis fœlicitatem in eo, qui eſt vera fœlicitas.

CVM mecum tacitus cogitarem, Catholica, Sereniſsima, & clariſsima Regina, miſerandam noſtri temporis calamitatem, infœliciſsimum noſtrę religionis ſtatum, varios, duroſque labores, quos Reſpublica Chriſtiana per hoſce annos paſſa eſt non ſine magno diſcrimine rerum, non ſine magno periculo vniuerſi, non ſine magna multarum animarum iactura ob quorundam hominum indigna facinora, & incredibilem inſaniam, decreui hoc Speculũ edere, quod Philippo Regi noſtro Catholico, potentiſsimo, & Principi clementiſsimo dicaui, eiuſque fœlici, & fauſto nomini conſecraui. Cæterùm cum notum ſit, Inuictiſsima, Catholica Regina, Tuam Celſitudinem eſſe fortiſſimum Chriſtianæ fidei propugnaculum, atque præſi-

præſidium, ſupplex tua numina poſco, & tanquàm ad tutiſsimum portum confugio, efflagitans, vt Tua Celſitudo huic operi faueat, idque protegat, atque defendat ea pietate, & beneuolentia, qua ſolet fideliſsimos ſubditos quoſque iuuare: vt hic meus liber à te ſapientiſsima Regina ſuſceptus, atque defenſus, neque perhorreſcat hæreticos, neque horreſcat ſciſmaticos, neque timeat inuidos, neque metuat maleuolos; quin potius tutus eat ad omnes gentes, à quibus ignorantiæ, & erroris tenebras, nebulaſque repellat, quas inſani iſti, & ſubdoli heretici in ſacroſancta Eccleſia offundere voluerũt. Perge igitur Chriſtianiſsima, potentiſsimaque Regina, & hoc fidele volumen pro tua innata bonitate gremio excipias, ſinuq; foueas; vt quemadmodum tuo Regi, omnium Regum Chriſtianiſsimo, fœlici fato dicatum eſt, fœcundo tuæ charitatis fauore ita alatur, & tueatur, vt perpetuum, & immortale fiat. Neapoli, XVIII. Kal. Auguſti.

M.D. LVIII.

 REVE-